Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1263
Quelle:
Copyright:

notaturque Tractatus noſter in edit. *Opp.* ejus *Moguntiae* T. I. 1721. in P. III. *Catalogi n.* 23. *p.* 7. titulo: *Ars Divina* ſ. *Liber de Arte Dei.* Initium, quod nobis deeſt, ibi eſſe dicitur: *Ad intelligendum et diligendum Deum fecimus iſtam artem.* Unde conjicio, eodem collimare *Waddingum* in *Bibl. Ord.* p. 203. ubi *Librum ad intelligendum Deum* excitat.

CCCXXVIII.

617 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 116. 4. per duas columnas minute, ſed nitide exaratus, olimque ad Canonicorum Reg. Collegium in *Voraw Stiriae* pertinens, ut in Theca anteriore notatur, ſequentia complectitur: I. Collectanea quaedam *Theologica* de Deo, alia e *Jure Can.* ad quorum calcem Univerſitas *Viennenſis* incepiſſe dicitur *Anno Domini 1365.* alia demum *Aſtronomica* de Planetis et Eclipſibus, quibus etiam Figurae adjunguntur.

II. *fol.* 9. *Incipit tractatus ſpere.* Notus ille videlicet *Job. de Sacro Boſco* ſeu *Buſto* toties editus, diverſorumque Commentariis illuſtratus, de quo, ſi lubet, conſulendus *Tannerus* in *Bibl. Britan. Hibern.* Ejus initium: *Tractatum de ſpera IIII. diſtinguimus capitulis* &c.

III. *fol.* 13. Quaeſtiones *de Paradiſo. Vtrum mundus ſit eternus. Vtrum plures ſint mundi. Quomodo ſit mundus unus. Quod mundus ſit finitus. De ordine uniuerſi. Vtrum corpora celeſtia influunt in inferioribus. Quod rationibus non poteſt demonſtrari mundum eternum uel non.* Omnia levis momenti.

IV. *fol.* 14. p. 2. Interpretatio Vocum Biblicarum ordine Alphabeti. Initium: *Abba ſicut dicit gloſſa Galat. 4. ebraicum eſt. In interpretationibus dicitur quod ſyrum eſt* &c.

V. *fol.* 19. p. 2. Puncta quaedam Haereticis examinandis proponenda, et primum quidem *Pauperibus de Lugduno*, dein *Leoniſtis.* Initium: *Queratur ab heretico examinando ſi aliqua ſacra uerba didicit* &c. *Heretici leoniſte iactant ſe de perfectione uite* &c. Confer *Cod.* CCXC.

VI. *fol.* 20. *De Antichriſto.* Initium: *Antichriſtus veniet in tempore habundancie peccatorum ut dicitur Dan. VIII.* &c. Conjecturae fabuloſae ab ipſis Typographiae exordiis *lat.* et *germ.* pluries typis excuſae.

VII. *fol.* 21. absque inſcriptione Opuſculum *Reineri* ſeu *Rinberi Sacconi* jam *Cod.* CCXC. indicatum de *Waldenſibus*, *Catharis*, *Leoniſtis*, *Patarenis*, *Manichaeis* &c. verum hic alio ordine et tam ab Exemplo mox citato, quam ab eo, quod in *Bibl. PP. Lugdun.* T. XXV. p. 262. legitur, abludens. *Fol.* 22. p. 2. aetas illius proditur his verbis: *Anno M°. CC°. L°. compilatum eſt opus a fratre predicto ſed prius heretico.*

VIII.